

*Nominum va-
rietates unde!*

& hoc secundum quod mutatur per diversas & varias Operationes. Et scito, O PRÆSUL inclyte, & PRÆSUL illustrissime, quod cum tibi hoc declarabitur, totum scies, ac omnium Philosophorum mentem scies: Nam illa diversa nomina sortitur secundum suas diversas conversiones, videlicet in Aquã & Terram, Aerem & pulverem nigrum, album & rubeum. Et nota, quod in perfecta sua sublimatione & operatione videntur tantum duo Elementa, videlicet Terra & Aqua: Sed sub terra continetur Ignis, & sub Aqua Aer, quæ duo sc. Ignis & Aer sunt invisibilia, nisi sub terra & aqua. Et nota, O tu Princeps, quãdo fit sublimatio Philosophica, tunc accipitur corpus perfectissimum, & ponitur ad ignem Philosophorum, per mensum Philosophorum, tunc cum tempore illud Corpus humectatur, & emittit sudorem quendam sanguineum post putrefactionem & mortificationem, Rorem dico Cœlicum, qui quidem Ros dicitur Mercurius Philosophorum, sive Aqua Permanens, Aqua Viva. Aquam dico, quæ corpus suum exeundo mortificat, & ingrediendo vivificat, denigrat, dealbat, iuxta Evangelium: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.

Vnde dicunt Philosophi, Lapis noster unus est, & Lapis noster se ipsum mortificat, seipsum putrefacit, & seipsum vivificat ac lavat, & dealbat, & in seipso omnia habet necessaria, & nullius indiget adiumento.

Et nota, O tu Princeps gloriose, quod illa Aqua, quæ exit è Corpore, dicitur Anima & Spiritus corporis: Et tunc terra dicitur vacua, habens tamen in se Ignem, & illa Aqua dicitur Mercurius Philosophorum, & Aqua permanens, & Aer. Et nota, O PRÆSUL, quod quando Lapis noster emittit illum sudorem, tunc terra manet in fundo nigra, ut Pix: Et dum sepe sublimando cadit super eam, aqua sua ipsum dealbat, & in albidissimum & subtilissimum pulverem convertit, qui pulvis albus dicitur Lapis albus sive Luna. Et super omnia nota, quod sunt tres principales Colores, videlicet NIGER, ALBUS & RUBEVS. Nigrum dico, quando primò calor agens in corpus humidum, generat nigredinem, ut manifestè patet ex Philosopho. Et calor agens in corpus siccum, cum vera ablutione generat albedinem: Et calor in albedinem agens generat citrinitatem. Hoc totum intelliges in sequentibus ad tactum manuum, & in omnibus scriptis Philosophorum, de nostro Lapide verè scribentium.

Et no-